

stentes non tam educere, quam novas prorsus producere. Nec ratio est inevidens. Compertum enim est ac notissimum ex Mechanica Chymica', motum causam efficientem esse omnium formarum ac qualitatum, quatenus corpuscula ratione figuræ & magnitudinis mirum in modum dividit, alterat, mutat, & novum situm, ordinem ac nexus in ipsis inducit: à qua textura deinde omnium formarum, qualitatum ac virium origo dependet. Jam autem in flamma & igne rapidissimum materiæ ætheræ, ceu substantiæ mobilissimæ flumen est, ut mirum non sit ignem alias ex mistis producere substantias, quæ antea non inexistiterunt. Ex quo apparet falsum esse illud pronunciatum, quo quid ex iis constare dicitur, in quæ per ignem fuerit solutum. Arguit hanc rem satis unicum experimentum. Notum est, Saponem constare ex mistura Sebi & Salis lixiviosi: quodsi autem Sapo destilletur, nunquam ingredientia iterum prodibunt, sed longe quid diversum ab illis, nempe oleum subtile volatile, cuius unica guttula aliquot æquæ amphoras odore inficere potest. Ad hæc ignis, prout varie administratur vel in aperto aëre vel in vase clauso, ex corporibus longe diversas elicit. Exempla habemus in Camphorâ, Succino, Sulphure & aliis. Pari ratione nec fermentatio aptum instrumentum est elicendi ex mistis Principia constituentia, quatenus motu æthæris Situm & texturam corporis varie alterare solet.

§. XI. Ex illis autem artificialibus, quæ prævia præparatione ex corporibus producuntur, sunt vitriolum, alum, Nitrum &c. Sic notum est mineram

Salia illa artificalia in individuis demonstrantur, ac ostenditur ea etiam regenerari posse,